*AUTHOR:*

LORENTZ, FRIEDRICH

*TITLE:*

DE ARISTOPHANIS SPE ATQUE IMAGINE...

*PLACE:*

BEROLINI

*DATE:*

1865

Master Negative #

93-81627-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar5 Lorentz, Friedrich. 1841-
DZ2 v.4 De Aristophanis spe atque imagine reipublicae Atheniensium restituendae.
Berolini 1865. D. in O. 32 p.

Doctor's dissertation at Berlin university.
No. 3 of a vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM


**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter




Inches







# DE ARISTOPHANIS SPE ATQUE IMAGINE REIPUBLICAE ATHENIENSIUM RESTITUENDAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VIII. M. JULII A. MDCCCLXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRIDERICUS LORENTZ
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTIBUS FUNGENTUR:
O. RICHTER, PHIL. DR.
R. HACHE, PHIL. STUD.
A. GEHRKE, PHIL. STUD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

Aristophanem summo patriae amore civiumque studio semper ductum esse vix nunc quisquam facile negaverit: neque enim Themistoclem, Demosthenem, Ciceronem, quia belli domique dicendo et agendo rempublicam defenderunt malaque multa ob amorem eius perpessi sunt, solos ideo vere patriam amasse arbitramur; sed in variis rebus varia ratione patriae amor ostenditur. Velut Aristophanes nec re militari enituit nec ob ea, quae salutis publicae causa volebat et agitabat, graviora detrimenta accepit: immo honorem, gloriam, praemia et vivus et mortuus assecutus est. Merito tamen illa reportavit, quippe qui semper summa cum assiduitate summaque animi attentione levitatem civium morumque depravationem impugnandam, abiectos cives urbe expellendos ideoque quavis ratione castigandos, pristinam morum conditionem recuperandam esse censuerit, eaque omnia nec ullo cum timore nec ulla suimet ratione habita egerit. Omnino vero, quisquis tunc patriam vere amabat, reipublicae morumque statum, qualis erat, vituperaret et corrigeret necesse erat. Idque Socrates, Plato, Aristophanes, alii egerunt, ideoque, quamcumque quisque viam ad eam rem efficiendam ingressus est, merito summis omnes laudibus efferuntur. At qui fieri poterat, ut poeta quamvis maxime eximius ipsa arte comica tantum patriae civiumque studium praestaret? Profecto ea erat apud veteres poetarum atque adeo comicorum vis atque auctoritas, ut illi re vera duces, magistri, praeceptores populi essent. Etenim Aristophanes nil nisi ludos et jocos agere minime putandus est, sed in omnibus eius comoediis seria gravissimaque jocis immixta sunt. Nam „antiqui comoediographi“, ut ait Acro (schol. ad Horat. Serm. I.,

10, 16, 17.) „eo ipso placebant, quod ridicula eorum magis morderent, quam si acria protulissent“, et Horatius ipse[1]) „Ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque secat res.“ Accedit quod Comicus, quidquid jocatur, semper illud habet propositum, ut patriae civiumque damnis vitiisque medeatur; neque unquam a rebus ipsis longius ille recedit: unde comoediam certis quibusdam finibus modisque constitutis alteram quasi historiam esse iure viri docti dixerunt[2]). Neque enim, si ex antiqua illa comoedia voluptatem resque venereas abstuleris, nihil iam in illa supererit: sed Comicus, licet deridendi et vituperandi causa pluribus, quam par erat, conviciis eundem hominem cumulaverit, semper tamen graviore quodam consilio ubique ducitur. Sane profecto antiqua illa comoedia, quoniam in describendis vel perstringendis aequalium vitiis a partium studio saepe abhorrebat[3]) patriaeque potissimum commodis emolumentisque prospiciebat, accurata quadam cautione adhibita nescio an etiam historiam scribenti aliqua fide digna esse videatur.

Sed haec ideo attigi, quia, priusquam ad rem ipsam accederem, Comici voluntatem, gravitatem, constantiam in

---

1) Hor. Serm. I, 10, 14, 15.

2) Cf. quum alios tum Bernhardyum in libro ‚Griechische Literatur-Gesch. II. 2, 537‘: ‚Die historischen Züge der namhaften Individuen sind — — mit einiger Treue beibehalten und in dem Grade benutzt, dass der geschichtliche Typus unverkennbar bleibt, auch kann der Geschichtsforscher mit Kritik manches Detail daraus ziehen‘ etc. Bene Grotius (Grote, history of Greece VI, 666) Aristophanis comoediam appellat ‚a political comedy‘ ‚of (ibid. p. 659) unrivalled comic merit‘: sed idem hic egregius rerum graecarum scriptor nimio quodam Cleonis amore captus et Thucydidem non ubique historiae fidem servasse et Comicum omnino nulla fide dignum censet; conf. eund. VI. p. 133 adn. ‚This is one of the many errors in respect to grecian history arising from the practise of construing passages of comedy as if they were serious and literal facts; ibid. p. 459. Nimirum cum his parum congruit, quod idem saepius (VI. p. 184 adn. 2, p. 622 et sequ. et aliis locis) legentes ad Comicum delegavit et rebus apud illum narratis historiam suam confirmavit et exornavit.

3) Bernhardy. gr. Lit. Gesch. II, 2, 538: ‚In der Zeichnung ihrer Zeitgenossen war die Komoedie möglichst unparteiisch, da sie Keinen zu schonen hatte‘ etc.



reipublicae causa saluteque defendenda quantam fuisse existimem, breviter antea exponere debere mihi videbar. Jam, qualem ille spem atque imaginem patriae in meliorem statum conditionemque redigendae habuerit propositam, accuratius explanare liceat.

Ac primum quidem illud magni momenti videtur esse, qualem reipublicae gubernandae et administrandae formam optimam habuisse Comicus putandus sit, uniusne an omnium, plebisne an optimatium dominationem maluerit. Erat autem reipublicae forma apud Athenienses jam inde a Solonis Clisthenisque[4]) temporibus democratia potius, quam aristocratia, his tamen finibus circumscripta, ut legibus, non mutabili vulgi arbitrio omnia decernerentur. Optimatium vero potentia, quum iam Solonis legibus admodum restricta et Clisthenis institutis minuta potius, quam servata esset, tamen usque ad Aristidem archontem tantum legibus quoque valebat, ut ex eorum numero omnes fere magistratus eligerentur[5]): id quod ille confectis bellis Persicis, crescente in dies etiam pauperiorum civium fiducia animoque, abolere coactus est. Tamen etiamtum per multos annos divites et nobiles potius magistratibus fungebantur, quum iidem illi viri a multitudine et propter nobile genus et propter res Persicis bellis bene gestas magni utique aestimarentur[6]). Neque vero ita multo post, quum Cimon, optimatium dux, Persis plane devictis Citii mortuus esset, Pericles, quidquid aristocratiae manserat, plane sustulit et praeter suum ipsius principatum veram omnium legitimamque aequalitatem (ἰσονομίαν, ἰσοτιμίαν)

---

4) Ar. Nub. 1187: Ὁ Σόλων ὁ παλαιὸς ἦν φιλόδημος τὴν φύσιν. Grotius (hist. of Greece V, 473): ‚the democracy of Klisthenes.‘ Cf. F. de Raumer. ‚Vorlesungen über alte Geschichte‘ I. p. 453, 454; Droysen. in praef. Vespar. fab. ab ipso translat. ait: „Die gemässigte Demokratie, wie sie Solon beabsichtigt hatte, wollte die Thätigkeit des souverainen Volkes auf die Wahl und Controlle ihrer Beamteten beschränkt sehen“ etc. Idem de Clisthene similia affert Aristoph. III, p. 158, vs. 273.

5) Plutarch. vit. Aristidis; Grot. hist. of Greece V, 476.

6) Bernhardy. gr. L. G. I, 370. 371.

instituit[7]). Hic vero rerum status Pericle mortuo perversis malorum demagogorum artibus in vulgi imperium seu ochlocratiam conversus est: ac jam hoc tempore prioris aetatis formam reipublicae oligarchiam, recentem vero democratiam appellabant[8]).

Quae cum ita sint, si vehementes et perpetuos impetus contemplamur, quibus Comicus reipublicae, qualis tunc erat, formam, duces populi, vitia omnia aggressus est, non immerito Rankius (Vit. Aristophanis cap. XXXIX.) laudandus videtur esse, cum dicat ,vix dubitandum esse, quin poetae ipsi interdum Athenienses aristocratiae studium obiecerint et opprobrio verterint, a qua sane non multum aberat'. Atque in eandem fere sententiam Wieckius (Wieck, Die Vögel des Aristoph., in progr. gymn. Martisb. 1852) incidit, quum poetam Avib. fab. id potissimum egisse censeret, ut Pisthetaerum sophisticis artibus summam sibi potentiam ac potestatem parere doceret, nobiliumque et plebis certamina et democratiae pravitatem, etsi hanc superiorem e pugna faceret discedentem, salsissime describeret atque demonstraret. Atque horum quidem lis facile diremta erit, ubi δημοκρατίας apud Aristophanem usum vimque ponderaverimus. Etenim illud verbum ab Aristophane ea saepius notione nuncupatur, qua Plato philosophique alii eo utuntur[9]), ut plebis vel impotentis vulgi dominationem significet eandemque vim habeat, quam alias ὀχλοκρατία. Sed et hi loci rarissimi sunt (Ach. 618; Av. 1570; Ran. 951), et ibi, quod postea accuratius

---

7) Grot. hist. of Greece VI. p. 477: „the expanding democracy". Conf. Plut. Pericl.; Thuc. II, 35 et sequ.; id. II, 65: ἐγίγνετο δὲ λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.

8) Grote. hist. of Gr. V, 489: „the stationary democracy of the past generation, which now passed by the name of oligarchy"; Bernh. gr. L. G. I, p. 392; Thuc. II, 65.

9) Conf. Roetscheri „Aristoph. und seine Zeit" p. 107 adn.: „Euripides erwiedert (Ran. 951:) δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων, wo das δημοκρατικόν ganz in dem Sinne der Platonischen Demokratie zu verstehen ist"; haec vero Platonis democratia ochlocratiam fere significat.



videbimus, non tam democratiam ipsam, quam perversam demagogorum aliorumque rationem a Comico censeo esse vituperatam. Certe eius aetatis, quam maxime poeta laudat, reipublicae formam nunquam, ni fallor, ἀριστοκρατίας nomine appellavit: quo verbo profecto usus esset, modo voluisset. Adde quod, ut iam diximus, Aristidis tempore poetae gratissimo iam non vigebat optimatium tantum auctoritas, sed potius democratia quaedam firmis arctisque finibus et legibus circumscripta. Quodsi Rankius verbis suis haec tacite inesse voluit, reliqua concedo; sed quod Wieckius Avib. fab. oligarchiam aut adeo tyrannidem a Comico comprobatam esse censuit, quantum in hoc vir egregius a recta via aberraverit, mox perspicuum fore existimo.

Atque hinc quidem facile cetera intelligemus. Namque in Acharn. fab. (v. 618), quum Dicaeopolis Lamacho, quid de republica sentiret, libere exposuisset, hic illi Ὦ δημοκρατία, inquit, ταῦτα δῆτ' ἀνασχετά; cui ille Οὐ δῆτ, ἐὰν μὴ μισθοφορῇ γε Λάμαχος. Lamachus igitur, quamvis ipse a populo exercitui praefectus, democratiam tamen quodammodo accusat, quod civem illum minime potentem opprobria sibi impunitum inferre sinat. Certe inest in his magna reipublicae, qualis tunc erat, reprehensio, et iam tum bello sex demum annos gesto (Ol. 88, 3, 425 a. Chr. n.) non videntur defuisse, qui civium libere loquendi potestatem reprimi quam ali mallent. Adde, quod democratia, si illum virum populo acceptum talia poeta facit dicentem, secum ipsa quasi videtur dimicare, quippe quae ab uno suorum vituperetur. Quaerentibus vero, cur Lamachus talia fieri dicive patiatur, Dicaeopolis non fore respondet ut ea ille putaret ferenda, nisi mercedem imperatoriam honoremque omnem huic ipsi democraticae licentiae deberet. Honores igitur mercede susceptos mercedemque ipsam, non democratiam liberamque dicendi licentiam poeta illis verbis perstringit. Etenim quum idem alio loco (Acharn. 645) de se ipso loquens appellet se Τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον, Ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια, hoc

verbum παρεκινδύνευσε (sive pro loci ratione παρεκινδύνευσα) nonne a populari et dicendi et degendi libertate et aequalitate plane abhorret? Verane et justa dicere popularis imperii est? Illud si poeta se *ausum* esse dixit, et reipublicae jam qualis tunc primis Peloponnesiaci belli annis status erat, ochlocratia magis, ubi vulgi arbitrio honestissimus quisque vexatur et cruciatur, quam democratia videtur fuisse [10]), et poetam hanc vere amasse et cupivisse, illam summopere reiecisse ac respuisse apparet.

Haec vero illius loci interpretatio si vera est et justa, etiam alium quendam Acharnensium fabulae locum in hunc modum liceat interpretari. Ibi enim (641 et 642 vs.) se ipsum poeta optime de republica meritum esse dixit, quia, quomodo tum maxime civitates populari imperio uterentur, comoediis suis ostendisset: Ταῦτα ποιήσας (παύσας ὑμᾶς τοὺς πολίτας ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι κτλ.) πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν γεγένηται (ὁ ποιητής), Καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται. Atque hic quidem locus haud ita facilis intellectu videtur esse, quippe qui ne a scholiastis quidem plane perspectus sit: age igitur singula perquiramus. Ac verbum δεικνύναι active positum significat rem vel mente compositam vel manu factam oculis spectantium, ut cerni possit, proponere: velut Plato in Cratylo p. 430 e: τὸ δεῖξαι, ait, λέγω εἰς τὴν τῶν ὀφθαλμῶν αἴσθησιν καταστῆσαι: deinde audienti aliquid narrare, exponere, demonstrare: denique, si quid magister discipulo exponit, docere significat (vide lexica). Haec si in Comici verbis adhibemus exponendis, varia nec tamen diversa admodum existere potest interpretatio. Primum enim poetam populos liberos arte sua in scena ita expressisse et ostendisse, quomodo in sua quisque civitate populari imperio uterentur; dein eadem eum in scena verbis pronuntiasse;

10) C. Kockius, „Die Vögel des Aristophanes“ p. 9: „Die Demokratie war — — zuletzt (415) in Ochlokratie ausgeartet“; sed haec commutatio statim iam mortuo Pericle, ut supra ostendimus, fieri coepta est.



tum cives, socios, quemlibet alium a poeta doctos esse, quomodo populi in civitatibus populari imperio uterentur. Ac qua hic notione ex illis tribus, quas diximus, δεικνύναι verbum sit praeditum, parvi certe momenti est. Verba autem ἐν ταῖς πόλεσιν neque ad verbum δείξας apposita esse possunt, quum Aristophanes nec in ulla unquam alia civitate comoediam docuerit, nec, quantum nos scimus, publici vel privati negotii causa in alia oppida profectus sit; neque ad τοὺς δήμους, nam sic necessario diceretur τοὺς δήμους τ ο ὺ ς ἐν ταῖς πόλεσιν. Nihil igitur restat, quam ut illa verba ad ὡς δημοκρατοῦνται referamus; eoque magis vitiosum est, quod nonnullae editiones post δείξας commatis signum exhibent. Dein verbum ὡς non ea notione, qua scholiasta quidam (in codice, ni fallor, Ravennate) accepit, intelligendum est: non enim, opinor, ὅτι significat, sed propria verbi ὡς notione idem, quod latine dicunt ‚quomodo‘, ‚quemadmodum‘. Verbis autem τοὺς δήμους— δημοκρατεῖσθαι traductionem quandam et oppositionem Comicum efficere voluisse arbitror. Neque enim video, si δήμους pro pagorum vel tribuum Atticarum notione positos esse intelligimus, quid tum bonae rationis in illis verbis esse possit: non enim in qualibet urbe δῆμοι, sed δῆμος, non singulae tribus, sed universa civitas populari imperio utitur (δημοκρατεῖται). Praeterea apud Dem. Lpt. 15. οἱ δῆμοι ita accipiuntur, ut civitates populari imperio utentes significent. Itaque si haec omnia comprehendimus, haec loci videtur esse ratio. His de causis, inquit poeta, optime de vobis meritus sum, et (praeterea ideo), quod, qua (sive quam perversa) ratione in civitatibus liberis populare imperium nunc administrari soleat, vobis (comoediis meis Cleonem perstringens et malos omnino mores vituperans) ostendi. Atque ab hac mea interpretandi ratione quantum scholiastae discrepent, jam ex ipsis eorum verbis satis apparebit; aiunt enim: Καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν: Ἀντὶ τοῦ, τὴν ἡμῶν αὐτῶν πολιτείαν ἐπιδείξας ταῖς συμμάχοις πόλεσι τουτέστι διδάξας τοὺς συμμάχους ὡς χρὴ δημοκρατεῖσθαι, εὔνους ὑμῖν

αὐτοὺς ἐποίησεν. Ἄλλως· ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι τοὺς ἡμετέρους δείξας δήμους ὅτι δημοκρατοῦνται, καὶ ἄνευ τυραννίδος ἀλλήλοις πειθόμενοι. Secunda igitur interpretatio in eo mihi videtur peccare, quod verba ἐν ταῖς πόλεσιν cum δείξας aperte conjungit; neutra vero justam Comici sententiam expressit. Versu enim illo ideo se poeta mihi videtur laudare, quod perversam demagogorum rationem in republica gerenda et statum eius non δημοκρατικόν, sed ὀχλοκρατικόν Daetalensibus et Babyloniis[11]) suis ipse prioribus iam annis vituperaverit. Plurali autem numero (τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν ὡς δημοκρατοῦνται) utitur, ut omnino liberarum civitatum conditionem, ubi demagogorum artibus in ochlocratiam illa cesserit, miserrimam esse demonstret. Ac ne ex his quidem coniici potest, democratiam a Comico contemptam et reiectam esse: immo hanc ipsam, si recte respublica administraretur, nequaquam esse vituperandam.

Idem vero in Ranis fabula (952) Euripidem, cui Aeschylus obiecerat, quod mulieres, servos, dominos, virgines, anus omnes loquaces et garrulos in scenam produxisset, haec facit respondentem: Μὰ τὸν Ἀπόλλω· Δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων. Euripidem enim et hoc loco et alibi ut vulgaris licentiae artisque degeneris poetam severe traducit. Neque minor leviorque ochlocratiae vituperatio in eis inest, quae (Av. 1570) Neptunum inducit dicentem: Ὦ δημοκρατία, ποῖ προβιβᾷς ἡμᾶς ποτε, Εἰ τουτονίγ' ἐχειροτόνησαν οἱ θεοί. Eadem enim his atque quae Babyl.[12]) fab. perstringuntur, inscitia

11) Haec omnia iam scripseram, illis modo, quae attuli, scholiis comparatis, quum mihi Droysenii translatio loci et nota (II, 227) sub oculos venit; qui unde sua (cf. 290, 291) hauserit, ignoro; bene tamen cum mea interpretatione videntur congruere. Ait enim vir doctissimus, versibus illis Babylon. fabulam potissimum significari, in qua poeta socios Atheniensium servorum muneribus in mola Eucratis demagogi fungentes induxerit Cleonemque severe castigaverit. Versum ipsum Droysenius ita transfert: ‚Und liess euch sehn in den Städten umher, wie es dort mit der Demokratie steht.' Sed, opinor, verbis τοὺς δήμους κτλ. non tam socias civitates, quam ipsas Athenas significari. Scholiorum vero interpretatio plane futilis.

12) Arist. fragm. 43—73; cf. schol. ad Ar. Acharn. 378 διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν, et ibid. vs. 503.



et nequitia civium, utpote qui sorte suffragiisve gravissima reipublicae munera magistratusque distribuerent. Atque haec quidem non tam recentiore ochlocratiae, quam priore Periclis aetate sunt instituta; itemque alia, de quibus postea pauca afferemus. Quae utrum ab ipso Pericle, an ab aliis in rempublicam admissa sint, etsi haud satis liquet[13]), tamen et tempore et auspiciis eius certe perlata sunt, si ita Platonis, Aristotelis aliorumque sententias licet interpretari. Ideoque Aristophanes, etsi Periclem ceteris in rebus non contemnebat animique eius magnitudinem probe norat[14]), reipublicae tamen illius formam atque administrationem non ita pluris, quam vulgi imperium videtur fecisse[15]). —

Ac de odio Comici adversus vulgare imperium malaque eius instituta hactenus; videamus nunc, de unius seu regis seu tyranni imperio deque optimatium dominatione quid ille existimaverit. Haec vero, quae de oligarchiae odio studiove Comici dicenda sunt, difficiliora certe esse existimo: nam quae illi perpetuo optimae reipublicae species ante oculos obversabatur, victorum Marathoniorum respublica, aristocratiae simillima erat. Praeterea quos huius rei locos testes mihi afferre licet, et pauci sunt et parum perspicui: sunt vero hi. In Avib. fab. (vs. 125) poeta Upupam ex Euelpide facit quaerentem: Ἀριστοκρατεῖσθαι δῆλος εἶ ζητῶν; cui ille Ἐγώ; inquit, Ἥκιστα, καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι. His igitur censeo poetam non modo lusisse adhibito verbo ἀριστοκρατεῖσθαι, quasi Aristocratis, Scellii filii, dominationem ob virum

13) Cf. Grotium (Grote, history of Greece, VI p. 235), qui Platonem, Aristotelem, Plutarchum, alios Pericli illa crimini vertere recte censuit; de Thucydidis vero sententia parum constat, quum nusquam illum accuset. Ac ne Aristophanes quidem Pericli illa tribuit unquam; cf. de Agyrrhio schol. ad Eccl. 102, 184; et de omni hac re Boeckhii ‚Staatshaushalt der Athener' I, p. 245 sequ.

14) Cf. Aristoph. (aut schol. ad. eius) Acharn. 530, 548; Nub. 213; Vesp. 283; Equ. 283.

15) Aristoph. Vesp. 947 (schol.); Nub. 859 (schol.); Pac. 606—611; Ach. 530—534.

illum sibi invisum ipsam quoque se odisse significaret: sed certe aristocratiae se nec cupere nec favere, opinor, aperte dicit. Quamquam hoc non tam ex huius loci vi atque auctoritate, quem alii aliter vertant licet atque intelligant, neque adeo ex scholiis huic loco adiectis[16]), quam et ex universo, quod postea ostendam, Avium fabulae consilio et ex cetera Comici consuetudine et ratione coniicio. Aristocratiam certe non ab eo esse amatam iam inde apparet, quod Lacedaemonios, quorum respublica ab aristocratia reapse haud multum aberat, oderat magis, quam diligebat[17]), eosque, qui illorum mores studiaque imitabantur, magnopere contemnebat[18]). Idem vero in Agricolis fab.[19]) haec ait: Συκᾶς φυτεύω πάντα πλὴν Λακωνικῆς. Τοῦτο γὰρ τὸ σῦκον ἐχθρόν ἐστι καὶ τυραννικόν. Οὐ γὰρ ἦν ἂν μικρὸν, εἰ μὴ μισόδημον ἦν σφόδρα. His Lacedaemoniorum rempublicam aeque ac tyrannidem videtur contempsisse, ideoque potissimum, quia populi auctoritatem vel dignitatem nimis utraque coerceret atque minueret.

Neque vero parvi momenti in hac re diiudicanda videtur esse, quod Comicus nusquam fere in comoediis suis optimates aperte laudavit, nisi forte quis in Equitum choro ab illo comprobato plus, quam par est, voluisse eum existimat. Hos enim et quia una cum ipso Cleonem oderant[20]) et quia mercedem accipiebant nullam[21]), neque vero ideo, quia opti-

16) Schol. Av. 125: ἀριστοκρατεῖσθαι ἀντὶ τοῦ ὀλιγαρχεῖσθαι; Ἀριστοκράτης δὲ, Σκελλίου υἱός, ἐπεβούλευσεν εἰς κατάλυσιν τῷ δήμῳ. Quod quidem unde hauserit scholiastes, non satis liquet: magis sunt verisimilia, quae praeterea exstant scholia: Ἀρίστους κεκριμένους θέλεις ἔχειν ἄρχοντας τοῦ δήμου καὶ τῆς πόλεως, οἷα ἡ παρὰ Λακεδαιμονίοις πολιτεία ἦν. ἡ γὰρ τῶν Ἀθηναίων δημοκρατία ἦν. Bene dein ad vs. 126 in scholiis haec additur interpretatio: Οὕτως οὖν, φησὶ, μισῶ τὴν ἀριστοκρατίαν, ὅτι καὶ τὸν Ἀριστοκράτην μισῶ, ὅτι κέκληται τῷ ὀνόματι τούτῳ.

17) In Agricolis (frgm. 164) τυραννικοί, μισόδημοι cum odio vocantur; conf. Ach. 308; Eq. 84. 814; Pac. 1068. 1082; Lys. 628; cet.

18) Velut Patroclem, vid. Suidam s. v. Πατροκλῆς, et schol. Ar. Plut. 84; frgm. Ar. 386 ex Pelargis fab. (Dindorf p. 168).

19) Frgm. Ar. 164, apud Dindorf p. 99, ex Athen. III p. 75 a.

20) Eq. 225, 226 et saepe; schol. Acharn. 6, 7.

21) Eq. 576. 595.



matium partibus eos ibi censuerit favere, in Equit. fab. laudibus extulit. Atque adeo e contrario, quamvis et ipse bellum fastidiret et demagogorum vitia odisset, non tamen optimatibus se dedidit, utpote qui suis opibus et facultatibus parum freti aut concionum rixas contentionesque fugerent remque publicam demagogis permitterent, aut coacti tantum et inviti ad rempublicam administrandam bellumque gerendum accederent. Hi igitur inter se societatibus iuncti[22]) oligarchiam sive priorum temporum sinceriorem democratiam restituere cupiebant, duce tum maxime Nicia. Non tam igitur eo, quod volebant, quam qua illud ratione volebant efficere, a Comico abhorrebant. Atque eos bene poeta reprehendit Equit. fab., ubi et alibi et in Nicia servo, quidquid infirmitatis et imbecillitatis in eis erat, salsissime deridetur[23]). Atque in Nicia quidem castigando illud inprimis videtur egisse, ut optimatium et animos viresque fractas et amorem Lacedaemoniorum oligarchiaeque ostenderet: velut Equit. fab. initio (vs. 21—29) Nicias ille servus timide alteri servo Demostheni suadet, ut secum ad Lacedaemonios transfugiat; dein, consilio illo abiecto, ut dis supplicent; denique, ut mortem studeant occumbere: nihil omnino firmi, nihil fortitudinis eis inesse demonstratur. Idem cum ludibrio traducitur in Av. fabula vs. 640. (μελλονικιᾶν); et in Agric. fabula[24]), quia, ne expeditioni Sphacteriam missae dux praeficeretur, mille drachmas dedisse fertur, sic a Comico irridetur, ut duo inter se colloquentes haec aiant: A. Ἐθέλω γεωργεῖν. B. Εἶτα τίς σε κωλύει; A. Ὑμεῖς, ἐπεὶ δίδωμι χιλίας δραχμάς, Ἐάν με τῶν ἀρχῶν ἀφῆτε. B. Δεχόμεδα, Δισχίλιαι γάρ εἰσι σὺν ταῖς Νικίου. Itaque profecto Comicus Niciae, Platonis, aliorum rationem non laudat, nec sequitur: illi enim multique praeterea salute

22) Thuc. VIII, 54 et seq., ubi Pisander societates illas (ξυνωμοσίας) ad populare imperium plane diruendum coniunxisse narratur; conf. Grotium (hist. of Gr. VI p. 393); Droysen. Aristoph. II, p. 12.

23) C. F. Hermann de pers. Niciae ap. Ar.; Bernhardy. gr. L. G. I, 349.

24) Ar. frgm. 156, ed. Dindorf. p. 96.

civium desperata popularique imperio contemto a republica recedebant, oligarchiam quandam sive timocratiam, qualis Lacedaemoniorum respublica erat, summopere laudabant, magistratibus patriae coacti tantum fungebantur. Comicus vero, quoad vixit, non destitit, quominus reipublicae mala et damna, etsi paulatim spe se falli videbat, summo tamen ardore summaque constantia corrigeret patriaeque gravissimis malis laboranti praesens auxilio esset.

Tyrannos vero poetae in odio fuisse, exemplis probare non oportet pluribus: etsi illum in Plut. fabula, ubi ‚Timothei turris' cum odio vocatur, aperte tyrannidem eius metuisse ipsamque aspernatum esse intelligitur[25]). His adde, quod Comicus ipse certe non ignorabat, comoediae, quam praeter patriam Veneremque maxime diligebat, nec tyranno nec paucis rempublicam administrantibus eam vim auctoritatemque futuram, ut de omnibus rebus hominibusque, sicut tunc, libera loquendi facultas Comicis permitteretur. —

Venio nunc ad eam reipublicae constituendae formam, quam ab Aristophane ipso iam adolescente[26]) adamatam et usque ad extrema vitae tempora summopere dilectam esse arbitror. Quam quomodo vocemus, quum ipse nusquam uno eam nomine expresserit, difficile dictu: ex contrario toties tamque late et effuse eam descripsit, ut vix dubitem, quin scripta eius legentibus satis aperta sit atque perspicua. Etenim Aristophanes illam reipublicae formam conditionemque volebat redire, qualis Marathoniae pugnae tempore fuerat: quod quam difficile fuerit quantumque in se habeat contrarii, postea videbimus. Illo igitur tempore, quum Clisthenis, ut

25) Cf. Droysenii adnotationem ad illum locum, (I, 148) vs. 180; Aristoph. Av. 1073 et scholia.

26) Ille enim iam in Daetaleas. fabula (frgm. 1—42) pristinam morum simplicitatem in modesto quodam puero laudavit, recentem ac perversam educandi rationem in altero petulanti vituperavit: idque studium, quod perpetuo retinuit, idem sibi vult apud Comicum, quam pristinae democratiae amor, recentioris ochlocratiae odium.



iam diximus, etiamtum leges institutaque vigerent, reipublicae forma ea erat, vix ut optimatium an populi imperium fuerit pro certo dici possit. Omnes enim cives praeter eos, qui infimo ordini adscripti erant, pro suo quisque ordine ac facultate rempublicam capessebant: illud non apte in democratiam quadrabat, quod, quum ordines civium censu constituerentur, tantum ditiores seu nobiliores, utpote qui maiore summa aeris censerentur primosque ordines efficerent, magistratibus fungi poterant. Sed quum hoc iam ab Aristide tolleretur, quumque illud omne Miltiadis, Themistoclis, Aristidis tempus summis laudibus a Comico efferatur, simplicem, moribus probis legibusque firmis adstrictam, ab innocentibus iustisque ducibus gubernatam democratiam maxime illi acceptam et propositam fuisse merito dici potest. Atque ab illo quidem universam omnium civium in republica administranda aequalitatem non omnino reiectam, sed potius fortasse comprobatam esse ex eo apparet, quod inferiores populi ordines, quia fortiter Persicis bellis pugnassent, summa laude extulit[27]). Pristini autem illius temporis leges atque instituta quum fere omnino usque ad Comici aetatem mansissent, ac nova tantum aliquot instituta Periclis tempore perlata in rempublicam irrepsissent, ad priscam illam formam restituendam nulla re alia opus esse videbatur, quam ut perversa illa instituta tollerentur, antiqua omnia severe restituerentur, denique caveretur, ne abiectum illud et perniciosum demagogorum, sophistarum, sycophantarum genus denuo glisceret atque in civitatem admitteretur. Hoc igitur summopere volebat poeta, hoc sua arte se effecturum esse sperabat, hoc etiam extremis vitae temporibus eadem constantia continuoque sibi proponebat. Quae spes si eum fefellit, ideo ipse non est contemnendus: saepius enim iam gens aliqua unius civis ardenti et constanti studio in meliorem

27) Ar. Acharn. 162 et sequ. ὁ θρανίτης λεὼς ὁ σωσίπολις; conf. schol. Ran. 1074, Plut. 545; Thuc. 6, 31.

statum redacta est; Atheniensium vero non tam res, quam animos refici ac corrigi debere Aristophanes bene ipse perspexit.

Et quoniam de reipublicae forma ab Aristophane laudata satis multa dixisse rear, sequitur ut, quibus de causis patriae qualis tunc erat status ei displicuerit, quaeque in recentiore republica vituperanda et in pristina laudanda habuerit, paucis nunc exponam.

Ac bene profecto Periclem coram populo brevi ante belli Peloponnesiaci initium haec dixisse (Thuc. I, 144) censeo: Μᾶλλον -- πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας. Quae populi vitia quot et quanta fuerint, ex Comici vituperatione optime cognoscitur. Imprimis vero civium desidiam et negligentiam in rebus publicis tractandis multorum malorum causam esse censebat: in conciones eos ire tarde et cunctantes (Acharn. 17 et sequ.), ipsos Prytanes multo die venire; ceteros interea garrire; summam rerum pacemque quomodo facerent ne senatum quidem curare (Ach. 26; Eq. 624 seq.). His adde, quibus Comicus in Eccles. fab. salse derisit civium in concionibus mores (Eccl. 137; 395 et seq.). Idem se (Ach. 635) ideo laude dignum existimat, quod civium blandae laudis, adulationis, fallaciae cupiditatem a demagogis maxime auctam audacter restringere conatus sit (Ach. 370; Eq. 48; 1115 et saepe ibid.; Pac. 632). Recte igitur cives ob nimiam levitatem et desidiam ταχύβουλοι, μετάβουλοι, Κεχηναῖοι appellantur (Ach. 630. 632; Eq. 1120, 1262 etc.)[28]).

28) Singula, quae in civibus reprehendit Comicus, omnia afferre longum est, praesertim quum in eis, quae supra diximus, summa civium in rep. gerenda vitia insint: satis habebo igitur nonnulla hic alia cum locis Comici afferre: luxuriam civium deridet Ach. 94; Nub. 355; Av. 830, 831; Lys. et Thesmoph. passim; epulandi cupiditatem Ach. 79; ignaviam Nub. 353; Vesp. 19; Pac. 673. 1173. 1295. 1301 (in Cleonymo); Av. 1473 etc.; credulos et superstitiosos animos oraculorumque cupiditatem in Amphiarao fab.; Ach. 47, 169; Eq. 61. 109. 1002; Lys. 770; frgm. Aeolosiconis, 123 (ed. Dindorf p. 85); Pac. 1052. 1084; 1126; Av. 959 etc.



Iam vero quid de demagogis, sophistis, sycophantis censuerit poeta, plurima apud ipsum exstant testimonia. Ea autem erat demagogorum potentia, ut cives, quamvis domi essent viri vel maxime frugi, ubi primum in forum venirent, illico quasi ab eis immutati esse viderentur (Eq. 752). Quorum aviditatem alienarumque rerum cupiditatem saepe Comicus perstringit (Eq. passim; frgm. (ed. Dind.) p. 58, 48), inprimis Cleonem (Eq. et alibi) et Pisandrum (Av. 1555 etc., Lys. 490, ubi vide scholia). Nec minus Athenienses ipsi ob inexplebilem aviditatem reprehenduntur[29]); sed auctores huius mali esse demagogos, duces praesidesque urbis; quorum si quis unum diem bene se gesserit, decem se male gesturum; alterum si sumerent, multo plura mala facturum (Eccl. 176). Omnia vero, ob quae demagogos ex urbe pellendos et eiiciendos existimaret, in Eq. fab. Cleoneque accusando et perstringendo inque artibus isiciarii illius abiectissimi congessit: singula hic afferre longum est. Atque hanc quoque Comicus certe non amplexus est levissimam opinionem, quam in Equit. fab. (1125) Populum facit exponentem: ait enim se ibi Populus demagogorum furta bene sensisse, sed uti se iis, donec ipsi se bonis explessent; tum vero eos rursus evertere. Nam certe haec misera erat consolatio, si malorum et damnorum multitudinem, parvum beneficiorum numerum contemplamur, quorum illi populo auctores erant; quippe qui inprimis bellum Peloponnesiacum magis magisque duci cuperent, quo facilius honores auctoritatemque assequerentur populumque deciperent.

A sophistis vero eisque, qui una cum illis novarum rerum essent studiosissimi[30]), plurima vel omnia reipublicae

29) Frgm. Ar. 157 (ed. Dind. p. 97) ex Agricolis fab.: Ὅτου δοκεῖ σοι δεῖν μάλιστα τῇ πόλει; Ἐμοὶ μὲν ἐπὶ τὸν μολγόν· οὐκ ἀκήκοας; et qui locus exstat apud Poll. X. 187: Μή μοι Ἀθηναίους αἰνεῖν· μολγοὶ γάρ ἔσονται· quibus ille addit „τὸ ἄπληστον αὐτῶν ὑπαινιττόμενος".

30) „Neologen", ut ait Bernhardyus in gr. L. G. II, p. 568; idem ibid. p. 552: „Man vergesse hier niemals, dass Aristophanes in allen Lebensfragen

detrimenta omnemque rerum pristinarum commutationem exiisse censebat. Iamdudum certe inter poetas philosophosque de artibus et studiis suis potissimum rixas fuisse apparet[31]): tamen, quidquid Comicus in eis vituperavit, patriae inprimis servandae et in pristinum statum restituendae gratia in eos irruisse putandus est. Idque iam ex illo versu facile intelligitur, qui quasi summam sophistarum doctrinam complectitur: Πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν ἂν πράττῃ τις εὖ (Plut. 1151)[32]).

Nec minus quam demagogorum et sophistarum ratio displicebant Comico sycophantae, geometrae, oraculorum venditores, alii quos afferre longum est. Optime vero, quid et quantum ille in recentiore reipublicae administratione et conditione vituperaverit, ex eis apparebit, quae de mercedibus publicis distribuendis deque litigandi et iudicandi civium cupiditate diligentissime ac salsissime Comicus exposuit. Quamobrem de his iam pauca afferre liceat.

Summopere igitur Aristophanes de mercedibus publicis queritur easque quamprimum censet tollendas[33]). Hinc equitum laudes, quod, non mercede conducti, suis sumptibus patriam defenderent (Eq. 576. 595; conf. Rankii de vita Aristoph. c. XXXIX); hinc petulantium legatorum vituperatio,

---

seiner Zeit den antiken Standpunkt vertrat" etc. conf. Ar. Nub. 96; Pac. 536; Ran. 1496—1499; ex his maxime deridentur a Comico Socrates et Euripides, ex quibus hic sophistis novisque rebus favere dicebatur, ille omnino novam erudiendi et vivendi rationem Comico docere videbatur, non tamen pristinam illam, quam ipse volebat; v. Diog. Laert. II, 18.

31) Plat. Rep. X p. 607 B: Παλαιά τις διαφορὰ φιλοσοφίᾳ τε καὶ ποιητικῇ κτλ. Confer. eund. in Conv. extr., ubi Socratem, principem philosophorum, cum Aristophane, comicorum praestantissimo, et cum Agathone, celeberrimo poeta tragico, de arte horum utriusque facit disputantem.

32) De sophistis conf. praeterea Nub. 95. 99. 112. 119. 201 etc. Av. 992; Plat. Rep. 493, b et schol. ad hunc locum.

33) Mercedum tria erant genera, theorica, ecclesiastica, iudicialis merces; de auctore eorum conf. Grotium (Grote hist. of Greece VI. p. 235); apud Comicum Eccl. 183—188 (conf. ib. 96 et schol.) auctoris cuiusdam fit mentio: ibi enim Agyrrhius ecclesiasticam mercedem iussisse dicitur. Cf. Boeckhii Staatshaushalt der Athener I. p. 250; Godofr. Hermanni Nubes praef. p. L. sequ.



quippe qui, magna mercede accepta, ab externis etiam regibus optime habiti, suas adeo molestias quererentur (Ach. 66 et seq.; 85; 90). Hanc potius publice datam pecuniam pauperibus civibus, qui parva mercede contenti gravissima militandi, navigandi, remigandi officia praestarent, tribuendam esse (Ach. 162. 595. 609;). Quamquam poeta perbene norat, fore, ut mercedibus sublatis reipublicae qualis tunc erat status plane everteretur: sed id ipsum fortasse ad novas res instituendas summopere cupiebat. Atque eadem de causa litigandi et causas dirimendi civium cupiditatem reprehendit; inde enim pauperes, ceteris rebus neglectis, victum sibi quaerere et male ideo a demagogis tractari (Vesp. 303 et ibid. passim, Plut. 171, 330 Lys. 624). Omnes vero reditus publicos a demagogis aliisque devorari patriaeque sub mercedis distribuendae specie auferri[34]) demonstrat (Vesp. 668; Pac. 639 et seq.): socios ab illis terreri, ut, quidquid illi pecuniae vellent, anxie penderent. Hanc vero revera esse servitutem, non populi imperium, quum et socii parerent demagogis et hi reipublicae bona in suum commodum verterent, populum adulantes, pecuniam publicam arripientes (Vesp. 681). Atque adeo hanc aerarii publici mercedumque administrationem inter causas belli diutius ducti enumerat (Lys. 488 et seq.). Itaque laudat pristina poeta tempora ideo quoque, quod tum nulla mercede data et accepta bene tamen respublica esset administrata; et quam turpiter infimorumque opificum potius ratione liberi cives tunc ipsius tempore rempublicam capessserent, egregie expressit his versiculis (Eccl. 304 et seq.): Νυνὶ δὲ τριώβολον Ζητοῦσι λαβεῖν, ὅταν Πράττωσί τι κοινόν, ὥς-περ πηλοφοροῦντες.

Ac iudicandi litigandique nimiam civium cupiditatem a

---

34) Ran. 1463—1466 Bacchum facit querentem, quod mercedes iudicibus datae fere iam solae omnes reditus publicos consumerent, nec fieri posse ideo, ut rei nauticae diligentius, ut deceret, opera navaretur; cf. Thuc. I, 144; Aristoph. Ran. 141.

Comico acri studio vituperatam esse iam diximus. Quam cupiditatemquasi furorem quendam senibus maxime inesse Vespis fab. ostendit; illis autem fretos demagogos omnia conari et perpetrare (Ach. 375; Eq. 40—50. 255; Vesp. argum.; vs. 281. 340 saepius). Ubique patriae proditores, vetitas merces importantes, novarum rerum studiosos ab iis quaeri et incusari (Vesp. 345. 410. 463. 474. 475. 487 cet.). Neque vero cum minore offensione Comicus adolescentium loquacium et in rebus forensibus et iudicialibus perpetuo versantium temeritatem atque nequitiam vimque senibus rusticis et lingua jam parum valentibus illatam perstringit atque conqueritur (Ach. 676; frgm. p. 48 ed. Dind.). Hos igitur adolescentulos esse opprimendos, cumque his inprimis Hyperbolum (Ach. 846, ubi schol.: τοῦτον ὡς φιλόδικον διαβάλλει συνεχῶς Ἀριστοφάνης; Vesp. 1007 cet.), Cleonem (Equ. 50. 923; Vesp. 197. 242; Ran. 569, 570. 577 saepius), omnem sophistarum ac sycophantarum turbam, quippe qui et auctores et fautores et participes essent illius nequitiae (Nub. 434. 926). Sophistas enim in iudiciis dicendo omnia, quae vellent, rata facere: sycophantas vero mirum in modum judicia amare ibique homines saepissime innocentes male tractare (Ach. 937; Eq. 923; Vesp. 145. 505; Av. 1410; Plut. 495); atque eo illos ire audaciae atque petulantiae, ut suam agendi rationem nequitiamque auxilium legibus institutisque patriae latum esse dicerent (Plut. 914). His omnibus de causis Atheniensium civitatem magnam quidem et beatam esse censebat, sed aptam quoque, in qua cuilibet rem familiarem litibus perdere in promptu esset[35]). Illum vero senum furorem ita quoque studebat sanare, ut judicibus ne decimam quidem redituum publicorum partem pro mercede solvi ostenderet; quod superesset, demagogorum fieri (Vesp. 668). Itaque Comicus, quum artem suam vix sufficere intelligeret, quae

---

35) Av. 36: Αὐτὴν — τὴν πόλιν — πᾶσι κοινὴν ἐναποτῖσαι χρήματα: ibid. 1031. 1046; Vesp. 691.



tantam tamque inveteratam pestem plane exstingueret, petiit a dis (Vesp. 650. 875)[36]), ut duros et quasi acernos civium in iudicando animos mitigarent atque lenirent. —

Iam vero in his omnibus, quae Comicum recensuisse et vituperasse vidimus, una inest eademque ubique redit novae meliorisque reipublicae efficiendae imago atque cogitatio. Atque ex hac summa principalique cogitandi ratione, quam equidem ego nunquam ab eo plane reiectam sive neglectam esse censeo, reliqua omnia sunt intelligenda. Nec profecto ea quae Kockius in libro „Die Voegel des Aristophanes" passim et imprimis p. 14 et 15 de Comici repentina animi mutatione, quam ille Avibus eum vult exhibuisse, probare mihi in animo est. Quamquam, quod ille Comicum in deorum fide, cultu, religione servanda Pac. et Av. fabulis eundem se atque antea praestitisse negat, plane placet. Sed quod egregius ille vir in Av. poetae mentem cogitationemque etiam in rebus publicis gerendis ita mutatam esse opinatus est, ut bellum tum maxime in Sicilia gerendum et Atticis armis, si fieri posset, orbem terrarum subigendum esse censeret, et ita, ingenti illa civium levitate laudata, quasi a se ipso deficeret, nescio an hac in re ille nimis multa efficere et demonstrare voluerit. Ait enim, Comicum in eo, quod voluerit, omnino non tam certa et bene ab ipso perspecta cogitandi ratione quam animi quibusdam affectibus ductum facile a solita via potuisse deflecti[37]). Sed singulatim Kockii ratio-

---

36) Vesp. 650 et 651 ait poeta, voce Bdelycleonis usus: Χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς, Ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν κτλ. De his versibus C. Kockius in libro ‚Aristoph. und die Götter des Volksglaubens' haec ait: In den Wespen gesteht der Dichter seine Unfähigkeit, die Ansicht der Gegner wirklich zu widerlegen, offen ein (V. 650) etc. Sane profecto poeta morbum illum comica arte viribus facultate sanari posse negat; sed quomodo, quae Kockius opinatur, in eis lateant, haud satis intelligo.

37) Car. Kock., ‚Die Voegel des Aristoph.' p. 15: ‚So konnte er (Comicus) in seinem Streben, das ohnehin weniger auf klar erkannten Principien als auf gemuethlichen Motiven beruhte, leicht irre gemacht werden und fuer

nem exponere et refutare meamque sententiam pluribus argumentis confirmare nec opus est nec ratio huius libelli permittit. Sane enim elegantissima sunt, quae ille de Avibus exposuit: sed illa, quae diximus, si Comici vitam, studia, perpetuam reipublicae corrigendae rationem etiam in Av. fab. adhibitam paulo diligentius perspexerimus, non probabimus. Similia quidem ratione, re dissimillima iam triginta annis ante illum Suevernius in libro „De Avib. Aristoph." excogitaverat; quae callide subtiliterque inventa quum et alii et inprimis Kockius et Droysenius bene iam refutaverint [38]), plura de eis verba facere nolumus. Ac bene profecto Droysenius totam Av. fabulam vocat ludum quendam iocosum inanemque (p. 25); sed, quum Kockius Aristophanem uno illo Siciliensis expeditionis tempore communi omnium deliratione captum amentemque ipsum quoque factum existimet, ut iam vix patriae mala conspexerit, inanem multorum spem libentissime secutus sit: ille omnino patriae constanti sinceroque studio eum fuisse ductum negavit, quo maioribus laudibus poeticam eius artem extolleret. Sed egregius ille Comicorum princeps nostris temporibus a nullo homine exceptis philologis antiquarumque rerum studiosis et legeretur et dignus esset, qui in manus sumeretur, si omnis illa, quam iam saepius laudavimus, animi gravitas, elaboratio, constantia, quam in patriae salute defendenda exhibuisse eum censemus, omnino esset nulla. Nam quod doctissimus vir „illud philologice et philosophice demonstratum summamque in republica gerenda sapientiam morumque integritatem in illis comoediis laudare in usu esse dixit (p. 263), quasi ars eius quanta fuerit propter honestas illas causas laudibusque digna poetae consilia optime appareret": quicunque Aristophanem semel nec saepius legerit, cur illa a poeta absint oporteat, eodem

einen Augenblick (sic) in das Extrem umschlagen' et simil. plura; cf. eiusd. libr. „Aristophanes und die Goetter des Volksglaubens" p. 78 et passim.

38) Kockius in libris modo citatis; Droysenius in praef. Avium fab. ab ipso translatae (I, 259).



iure quaeret. Certe Henricum Heinium et Aristophanem, quorum neutri ille fidem ullam haberi vult, omnino nec lascivia iocorum verborumve nec constantia patriaeve amore inter se licet comparare. — Atque ego quidem inanem quandam vanamque modo imaginem, eandem vero mirificam eximiaeque artis, a poeta Av. fabula expressam esse non nego. Sed haec quoque videamus, quae perpetuum, quod dixi, patriae corrigendae et in meliorem statum redigendae Comici studium aperte hic quoque inesse demonstrabunt. Quod Pisthetaeri et Euelpidis demigrationem poeta narrat, primum quidem in eis sive per eos Atheniensium potissimum litigandi studium certe reprehendit: hoc vero vitium ceteraque inveterata mala quae singulatim ibidem (vs. 851 et sequ.) perstringuntur, eo iam amentiae nequitiaeque progressa esse, ut melior urbs optimo cuique quaerenda vel condenda esset [39]). Idque quomodo instituendum sit, per iocum facetissimeque exponitur. Condunt illi duo viri novam urbem, in qua nec dei colantur, utpote qui obsoleti sint Graecosque deseruerint; nec quo futilium sophistarum, vatum versutissimorum, degenerum et insanorum poetarum, similium hominum studia consuetudinesque admittantur. Reliqua, quae non haec ipsa spectant et significant, iocosa Comici inventa, lusus, lepores sunt, eaque ipsa hanc Av. comoediam laude et admiratione dignissimam fere omnium eius fabularum reddunt; plura vero in eis quaerere ineptum.

Satis multa de rebus a Comico vituperatis: sequitur ut, quidquid ille ad meliorem egregiamque rerum conditionem efficiendam opus esse existimaverit, paucis nunc componamus.

Ac potissimum ad rempublicam bene constituendam Aristophanes quovis modo ad pristinorum temporum disciplinam morumque integritatem redeundum esse arbitrabatur. Primum enim tum severe, sed probe et iuste pueri eru-

39) Tale emigrandi consilium etiam apud alios veteres scriptores invenitur: cf. Horat. Epod. 16, vs. 17 et sequ.; Plutarch. vit. Sertorii c. 9.

diebantur, et honesta decoraque omnia iam a prima aetate cives discere cogebantur. Quam pristinam pueros educandi rationem iam prima, quam docendam curavit, Daetalens. fabula[40]), maximis laudibus extulisse, recentiorum lascivam mollioremque graviter videtur reprehendisse. Itaque pristinos poetas denuo diligentiusque esse legendos, eorum modos numerosque ut simpliciores ediscendos, reiiciendos Phrynichi modos contortos (Nub. 1356; frgm. ex Daetal. ed. Dind. p. 44); palaestrarum, quippe quae crescente luxuria lasciviaque in dies magis vacuefactae essent, usum ac consuetudinem denuo instaurari ac restitui debere (Nub. 1052), et ita cives rursus fore εὐγενεῖς καὶ σώφρονας Ἄνδρας (ὄντας) καὶ δικαίους καὶ καλούς τε κἀγαθούς, Καὶ τραφέντας ἐν παλαίστραις καὶ χοροῖς καὶ μουσικῇ (Ran. 727—729) et quales Μαραθωνομάχαι illi clarissimi fuissent (Nub. 986, 1010 etc.). Recentiorem igitur sophistarum rationem eruditionemque, quia viros malos, ignavos, effeminatos redderet, una cum ipsis abolendam. Hinc quoque facile intellectu, cur senes Acharnenses, quamvis iis ob nimiam belli cupiditatem et iracundiam nequaquam pepercerit, honore tamen dignos censuerit, et corporum illorum robora, animi fortitudinem, virtutem quasi inveteratam in eis tot tantisque laudibus extulerit (imprimis Ach. 179 seq.). — Atque haec poeta in educandi ratione volebat immutari; dein omnem militiae et administrationis publicae conditionem corrigendam esse rebatur: senes ne amplius militiae oneribus cumularentur (Ach. 600), sed potius iuvenes illi causidici, qui, quum loquendo quam agendo essent fortiores, onera subterfugerent, mercedes acciperent. Eniterentur praeterea cives, ut maris imperium sibi servarent; ne tamen novas

[40]) Improbus ibi adolescens seni cedere non vult; Alcibiadem ab altero vituperatum summopere laudat (frgm. ed. Dind. p. 43). Recta et proba filium non didicisse ibidem pater queritur, sed πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς, Συρακοσίων τράπεζαν etc. (ibid. p. 44), et Athen. XV. p. 667 f. ex Daetal. fab. χαλκίον (κοτταβεῖον) ἱστάναι καὶ μυρρίνας probe eos nosse. — De perpetuis paedicandi et similium rerum reprehensionibus ap. Comicos vide Bernhardyi gr. L. G. I, p. 50 sequ.



terras populosque sibi subiicere cuperent: quo facto reliqua omnia maximeque pacis bellive arbitrium facile penes ipsos fore (Pac. 507). Ac mirum quantum in hoc cum Pericle consenserit poeta: hoc enim eodem Periclis consilio spreto summae Atheniensibus post mortem eius accidebant calamitates[41]). Rem vero omnino nauticam quanti Comicus fecerit, iam inde facile apparet, quod in Themistocle, quem saepissime laudat, illud imprimis censet memoria gloriaque dignum, quod Piraeeum civibus donasset (Eq. 812); deinde, quod pugnarum navalium Persicis bellis factarum eorumque, qui magna in eis virtute se praestitissent, summa cum laude facit mentionem (Ach. 609 et seq.).

Socios vero et inquilinos (μετοίκους), quamvis a demagogorum et sycophantarum nequitia petulantiaque eos defenderet Comicus (Pac. 759; conf. Vesp. 669; Pac. 639; Av. 1425), diligentissime tamen a civibus censet separandos, nec eorum vult esse, quidquid in republica ageretur (Ach. 508. 634). Nec minus servorum humilem conditionem, quippe quae tota Graecia maximeque Athenis iamdudum ita inveterata esset, ut ea fere universa reipublicae administratio niteretur, non modo non vituperat, sed etiam valde comprobat (Vesp. 1297; Thesm. 582)[42]). Atque extremis belli Peloponnesiaci temporibus, quum Athenienses necessitate coacti servis fortiter pugnantibus libertatem donarent, Aristophanes et omnes, qui veteri rerum conditioni studebant et multitudinis

[41]) Thuc. I, 140—144 inpr. 144 incunte; Ran. 1463—1465 Aeschylum poeta e reipublicae salute haec facit suadentem: Τὴν γῆν ὅταν νομίσωσι τὴν τῶν πολεμίων Εἶναι σφετέραν, τὴν δὲ σφετέραν τῶν πολεμίων, Πόρον δὲ τάς ναῦς, ἀπορίαν δὲ τὸν πόρον. Ad haec schol.: Τὴν Περικλέους γνώμην λέγει. εἰ τὴν μὲν Ἀττικὴν ὡς πολεμίαν ἐάσουσι τέμνεσθαι, ἣ καὶ οὐ τέμνουσι, τὴν δὲ Λακωνικὴν περιπλεύσωσιν. Bene praeterea Aeschylo illa suadenti Bacchus ap. Com. (v. 1466) haec respondet: Εὖ, πλήν γ' ὁ δικαστὴς αὐτὰ καταπίνει μόνος; schol.: Ἕνα μὲν πόρον ἡγεῖσθαι χρημάτων, τὸ ναῦς ὡς πλείστας ἔχειν etc. Vide supra pag. 38 adn. Cf. Vossii adn. ad Pac. 507: ‚Der Dichter heisst sie (Athenienses) auf das Meer schauen, d. h. auf die Seemacht, die den tapfern Vaetern Wohlstand und gute Verfassung gab.'

[42]) Vide Roetscher. ‚Ar. und seine Zeit', p. 109 et seq., ubi Platonem, Xenophontem, Aristotelem in his rebus cum Comico consentire demonstrat.

impotentis imperium aspernabantur, graviter illud quidem ferebant: nam manumissos vulgi numerum augere necesse erat[43]).

Demagogis vero sui temporis opposuit virtutem Themistoclis, summisque laudibus veterum populi ducum innocentiam effert, quippe qui veris beneficiis, nec fictis futilibusque, patriae consuluissent (Eq. 814. 884). Denique magistratuum sorte aut sublatis manibus creandorum consuetudinem acerrime censebat tollendam (Schol. Ar. Nub. 378 ad „διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν“; frgm. Ar. ed. Dind. p. 54). Atque haec omnia si de poetae voluntate patriae contigissent, recte et vere tum populus loqui posset, quae (Eq. 1387) idem ab isiciario coquendo denuo recreatus et refectus ait: Μακάριος ἐς τἀρχαῖα δὴ καθίσταμαι. Itaque ut pristinam illam morum simplicitatem civibus probaret et commendaret, in antiquis temporibus laudandis saepissime et magna cum voluptate videtur versari: vide ea, quae in Acharn. fab. de pristina sua virtute praedicant senes Acharnenses, et quae in Nub. fab. Justus Sermo de illis temporibus dicit; nec minus in Vespis severos et fortes veterum mores magnis laudibus effert: namque (Vesp. 1076) ab Atticis civibus nobilibus atque indigenis barbaros fusos esse et fugatos; ab his igitur etiam tum Atticos maxime timeri. Neque vero tum viros ad dicendum magis quam ad agendum promptos fuisse, nec sycophantas jam exstitisse; sed quo quisque modo optime remigis officium patriae praestaret, omnes diligenter secum reputasse. Hinc barbarorum fugas, oppidorum expugnationes, tributa sociorum, reliqua omnia Atheniensibus contigisse.

Iam vero ideo quoque pristina illa tempora Aristophani videntur placuisse, quia iam tum, quod valde cupiebat, societas quaedam inter plurimas Graeciae civitates ducibus Atheniensibus Aristidis opera inita erat atque conciliata. Non multi enim Graecorum eo animi magnitudinis progressi sunt,

43) F. de Raumer. ‚Vorlesungen ueber alte Geschichte‘ I p. 469 et sequ. Bernhardy. gr. L. G. I p. 45; Plat. Rep. l. VIII, p. 563, a.



ut, quanto plus virium opumque ipsi arctiore societate inter se coniuncti vel unius omnes imperio obtemperantes adversus hostium impetus incursionesque essent habituri, diligentius secum reputarent, et, quantum in ipsis esset, efficere illud conarentur. Atque in his maxime censeo fuisse Aristidem[44]), Periclem[45]), Aristophanem. Saepius enim Comicus Graecos, ut concordes essent, admonuit, maximeque Lysistr. fab. (1129. 1137. 1150. 1247. etc.), quo tempore expeditio in Siciliam ab Atheniensibus missa plane irrita facta erat: eo enim magis civium animos Comicus ad pacem concordiamque conciliandam propensos fore sperabat. Quamquam profecto ipse vitia singularum gentium bene norat; saepe enim et scite ea comoediis suis immiscuit[46]). Imprimis autem, ut iam diximus, in Lysistr. fabula Athenienses et Lacedaemonios monet beneficiorum, quae invicem sibi prioribus temporibus praestiterint, et utramque aliquando ab altera civitate defensam et servatam esse ostendit. Pacem igitur facerent neve diutius parvis de rebus rixantes bellum ducerent perniciosissimum. Atque etsi Lacedaemoniis ut crudelibus hostibus haud ita bene cupiebat, facere tamen non poterat, quin eorum virtutem, robur bellicum, pietatem erga deos summis laudibus

44) Plutarch. vit. Aristid.; Aristoph. Lys. 65 et 653 de erano ab Aristide instituto loquitur: τὸν ἔρανον τὸν λεγόμενον παππῷον ἐκ τῶν Μηδικῶν etc.

45) Plut. vit. c. 17; Grotius (Grote, history of Greece VI p. 24 seq.): ‚The schemes of Pericles were at the same time eminently Pan-Hellenik.‘ Ibid. paulo post: ‚He wished to make her (Athenas) the centre of Grecian feeling, the stimulus of Grecian intellect and the type of strong democratical patriotism combined with full liberty of individual tast and aspiration.‘ — Ibip. p. 241. Simile quoddam Graecorum coniungendorum consilium exstat apud Platonem (Rep., l. V, p. 469), indignum vero, propter quod illum tribus illis viris adiciamus.

46) Ar. frgm. Anagyr. apud Suidam: ‚Ἀργεῖοι φῶρες‘, ἐπὶ τῶν προδήλως πονηρῶν· οἱ γὰρ Ἀργεῖοι ἐπὶ κλοπῇ κωμῳδοῦνται. Conf. Pac. 493; Av. 399; Pac. 475—477 (schol.). De Boeotis vide Ach. 872, 624; Eq. 479. Pac. 466; de Corinthiis Thesm. 404; Eccl. 199; Frgm. 133 (κορινθιάζειν = μαστροπεύειν); de Lacedaem. frgm. 322: Λακωνίζειν = παιδικοῖς χρῆσθαι; αἰσχροκερδεῖς, διειρωνόξενοι, Pac. 623 (schol.); sordidi (ῥυπῶντες), ἀπαράτιλτοι Lys. 279 sq. etc.

efferret (Lys. 1254; 1296—1315). Sed ne ita quidem poeta, quamvis Graecos arctiore societate coniungendi cupidissimus, patriae oblitus est, sed Graeciae caput esse (una cum Pericle, vide supra notam ex Grot. hist.) quam maxime cupiebat[47]). Hinc enim Cleon a poeta reprehenditur, quod Athenienses voluerit reddere μικροπολίτας[48]); hinc egregiae apud Comicum patriae laudes[49]). Istam vero Graecorum societatem arctioremve coniunctionem qualem ille esse voluerit, accuratius ipse nusquam exposuit.

Atque ab illa quidem corrigendae reipublicae via rationeque nunquam, ut iam supra commemoravimus, plane Comicus recessit. Etsi enim Attica ingenii indoles levissima esse nec ideo unquam dolore diu vexari solere recte existimatur, tamen poeta, quum certe indole illa si quis alius praeditus esset, reipublicae saluti usque ad vitae finem prospexit. Sicut in Pluto, ultima quae exstat fabula, antiquae comoediae licentia rationeque iampridem sublata, et publicas et privatas res perstringit: sycophantas, demagogos, homines litigandi studiosos, alios graviter traducit et tollendos censet. Praeterea ibi cum in ceteris rebus, tum in Paupertate describenda eam sententiam ac voluntatem, qua inprimis ad publicas res perstringendas et corrigendas eum adductum fuisse diximus, summa cum constantia retinuit: acerrime enim per illam ipsam Paupertatem cives monet, ut ad pristinam morum integritatem antiquorumque temporum simplicitatem redeant[50]) (Plut. 415

47) Eq. 1330 de Populo poeta ait: Δείξατε τὸν τῆς Ἑλλάδος ἡμῖν καὶ τῆς γῆς τῆςδε μόναρχον; ibid. 1333: χαῖρ', ὦ βασιλεῦ τῶν Ἑλλήνων etc.

48) Eq. 817; conf. Polluc. l. IX, 25: Ὅθεν καὶ Ἀριστοφάνει εἴρηται τὸ μικροπολιτικόν, frgm. Ar. 649.

49) Frgm. 162 (et Dind. p. 98); Ἀθῆναι ἰοστέφανοι, Eq. 1329; Ach. 637; ἱεραὶ, Eq. 1037; λιπαραὶ, Ach. 639; Pac. 1036; Nub. 299—313; cet.

50) Bern. Thierschii rationem, qui per Plutum Athenas, per Paupertatem Spartam significatam censet poetamque hac fabula cives ad bellum cum Lacedaemoniis concitasse vult aliaque, plane non probo. — Sales certe in illa fabula tenues; viva et agilis priorum comoediarum ratio, maxime vero rerum publicarum acerrima illa studia plane videntur evanuisse; tamen illa, quae Paupertatem sui defendendi causa facit dicentem, optimis priorum fabularum locis paria esse existimo (impr. vs. 507—600; οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἢν πείσῃς).



et seq.). Hanc vero pristinam rerum conditionem tam facile recuperari non posse bene ipse videbat (Ran. 1458 sq.: Πῶς οὖν τις ἂν σώσειε τοιαύτην πόλιν, Ἧι μήτε χλαῖνα μήτε σισύρα συμφέρει; et simil. saepe): fieri tamen posse semper sperabat. —

Ac de singulari fere illo poetae studio deque eius patriae restituendae imagine hactenus: restat, ut, quid ipse de studio illo consilioque sentiendum existimem, paucis nunc exponam. Omnino enim illud non ita censeo accipiendum atque intelligendum, ut re vera poeta pristinos Atheniensium mores, leges, instituta redire eademque ad verbum fieri voluisse existimetur. Quod si ita Comici verba scriptaque interpretanda sunt, forsitan etiam populum Atheniensium, velut in Equit. fab. fingit, recoquendum censuisse putandus sit. Sane illud perpetuo poeta egit, ut civium vivendi, deliberandi, agendi rationem quam maxime in pristinam illam conditionem restitueret: neque tamen, id quod a multis illi opprobrio versum esse legimus, universum quasi rerum et gestarum et gerendarum cursum exitumque propter se suaque consilia volebat immutari. Est sane omnium fere gentium proprium, ut diu in innocenti illa puerorum et cogitandi et agendi ratione consistere nequeant continuoque cursu ad alias novasque nec semper meliores res progrediantur: sed quod huic rerum humanarum naturae Comicum in recreandis civium moribus obnixum esse nonnulli voluerunt, haud recte in eo mihi videntur egisse. Nolebat enim ille cives ad puerilem, simplicem, rationis expertem morum integritatem redire, qualem in Marathonomachis illis fuisse arbitrabatur: hoc enim fieri non posse certe ipse intellexit; verum id potissimum agendum atque efficiendum putabat, ut et illorum erga patriam amorem et eandem morum integritatem, sed praeceptis, ratione, consilio firmatam atque corroboratam, cives sibi parerent atque conciliarent. Quod cur fieri non potuisse aliquot voluerint,[51])

51) Cf. Schwegleri ‚Geschichte der Philosophie im Umrisse', p. 30; Droysen. Aristoph. II, 22.

parum intelligo: comoediae profecto arte, vi, auctoritate aegre poterat fieri, ac ne unius quidem omnino studium, licet alter Solon vel Pericles fuisset, ad illam rem efficiendam satis aptum idoneumque fuisse existimo. Sed quidni plures boni probique cives opera studiisque coniunctis, magna etiam fortasse reipublicae calamitate ac perturbatione adiuti, potuisse illud efficere putandi sunt? Nimirum non recte vereque omnia ex eventu diiudicari solent. Quid multa? Plurima, si opus esset, ex rerum gestarum memoria exempla atque testimonia repetere liceret. Cui non in mentem venit Socratis, quem non minus quam illum omnem operam in corrigendis civium animis collocasse scimus? An, quia id, quod volebat, non effecit, falsa voluisse putandus est? Videmusne, ut uni Epaminondae illud contigerit, quod nec antea nec post illum cuiquam evenit, ut Thebanorum lentos segnesque animos eo audaciae constantiaeque perpelleret, ut totam Graeciam armati et victores peragrarent? Cui non audita sunt Demosthenis studia, pericula, vigiliae? Ac multa profecto in Aristophane paria et similia atque in clarissimo illo oratore fuisse nescio an facile appareat.[52]) Certe eadem fere uterque volebat, laudabat, vituperabat: utriusque enim temporibus respublica in summo discrimine erat, et uterque cives, ut ad pristinam constantiam, virtutem, fortitudinem redire conarentur, instantissime hortatus est.[53]) Etenim Demosthenis

---

52) De utriusque arte, opera, studiis egregius locus exstat apud Ovid. Pont. II, 5, ubi oratoris et poetae studia inter se comparantur; de quo loco Bentleius ad Hor. Carm. III, 30, 15 accuratius egit itaque Ovidii verba emendavit: ‚Distat opus nostrum, sed fontibus exit ab isdem: Artis et ingenuae cultor uterque sumus. Delphica non aeque gustata est laurea vobis (?): Sed tamen ambobus debet inesse calor, Utque meis numeris tua dat facundia nervos, Sic venit a nobis in tua verba nitor.‘

53) Confer. Dem. orationem primam adv. Phil. habitam p. 43 (ed. Reisk.): Πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πότε ἃ χρὴ πράξετε; ἐπειδὰν τί γένηται; ἐπειδὰν νὴ Δί' ἀνάγκη τις ᾖ. νῦν δὲ τί χρὴ τὰ γιγνόμενα ἡγεῖθαι; ἐγὼ μὲν γὰρ οἴομαι τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τὴν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι etc. Similiter apud Aristoph. Equit. 1355 ὁ Δῆμος ait: Αἰσχύνομαί τοι ταῖς πρότερον ἁμαρτίαις. Vide praeterea Dem. adv. Phil. I, p. 40.



orationes adversus Philippum, de pace, de auxilio Olynthiis ferendo habitas si legimus, nonne eadem iterum iterumque ille vituperasse nobis videtur, quae Comicus per totam vitam, ut supra iam ostendere conatus sum, in civibus reprehendi atque castigavit, levitatem civium negligentiamque in gerendis rebus gravissimis? Utrumque cives libenter audiebant, laudabant, honoribus afficiebant: neque tamen, quae illi volebant, strenue et suo quaeque loco agebant: uterque igitur patriae bene consuluisse, sed propter civium desidiam nihil effecisse putandus est.

Illa vero reipublicae Atheniensium arte comica restituendae spes quantum Comicum fefellerit, pluribus exponere me non oportere censeo. Ipse enim vidit patriam a Lysandro oppugnatam et captam, et longa moenia a militibus eius rescissa: ac quamvis paulo post Thrasybuli opera Athenienses in pristinam libertatem vindicarentur, tamen usque ad Comici mortem parum opibus valebant. Praeterea antiquae comoediae licentiam iam dudum ante Aristophanem mortuum sublatam esse scimus, quippe cuius ultimae comoediae Cocalus, Plutus, Aeolosicon, novae quam antiquae comoediae potius adscribantur.[54]) Tamen ille, quam adolescens adamaverat, patriae restituendae spem atque imaginem nunquam plane videtur abiecisse.

---

47. 53 (ψήφισμα κενὸν καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ βήματος ἐλπίδας); De utriusque παρρησίᾳ conf. Ar. Ach. 656 sq.: Φησὶν δ' ὑμᾶς πολλὰ διδάξειν ἀγάθ', ὥστ' εὐδαίμονας εἶναι, οὐ θωπεύων, οὐδ' ὑποτείνων μισθούς etc. et Dem. adv. Phil. I. extr. (p. 55): Ἐγὼ μὲν οὖν οὔτ' ἄλλοτε πώποτε πρὸς χάριν εἱλόμην λέγειν — — νῦν τε ὃ γιγνώσκω πάνθ' ἁπλῶς, οὐδὲν ὑποστειλάμενος, πεπαρρησίασμαι etc.

54) Cf. Droysen. praef. Plut. f. ab ipso translatae p. 125 etc., qui antiquae illam comoediae adscribit, vel saltem novae mediaeve eam esse oportere negat (p. 130).

# VITA.

Fridericus Lorentz Berolini natus sum a. MDCCCXLI ultimo die m. Octobr. Pater et vitricus praematura morte decesserunt. Usque ad annum aetatis XIV. scholis elementariis usus sum, dein adii Gymn. Reg. Joachimicum ibique per sex annos Meineckio et Kiesslingio rectoribus usus sum magistris Kiesslingio, Kirchhoffio, Seyffertio, aliis Vc. Cc. Calendis Aprilibus anni MDCCCLXII cum testimonio maturitatis inde dimissus sum. Ex quo tempore per hoc triennium in hac alma Universitate literaria Frider. Guil. graecis, latinis, vernaculis literis imprimis operam navavi, et philosophicis non minus quam philologicis studiis deditus fui. Hac in re gratissimo auxilio, munere, ope usus sum professorum doctissimorum et praeclarissimorum in hac Univers. Berolinensi, Boeckhii, Hauptii, Mommsenii, Muellenhoffii, Trendelenburgii, Althausii, Geppertii, Huebneri, aliorum. Studia ipsa, quibus egregiis illis ducibus et magistris usque ad hoc tempus operam dedi, hoc semestri aestivo absolvere in animo habeo.

Berolini, exeunte mense Aprili MDCCCLXV.

# THESES.

1. Thuc. l. I. c. 61, §. 3. coniectura Pluygersii apud Cobet n. l. 382 ἐπὶ Στρέψαν pro ἐπιστρέψαντες opus esse nego
2. Bernhardyum in Syntaxi Graeca non recte statuisse, participium verbi finiti locum tenere posse.
3. Soph. Trach. 323 secundum Wunderum pro διοίσει legendum esse διήσει.
4. Aristophanem non tam priscae comoediae usu rationeque quam suo ipsius patriae amore ductum meliori rerum conditioni studuisse.